

Eturum, si periculi plus metuendum inde, quàm auxiliij sperandum foret: vel saltem prudentem lectorem, de imminente noxa, si tanto malo futura esset, cãdidè & ingenuè præmoniturum. Sed agè, petentibus largiamur, quod semel tantùm recenset Dioscorides, illius vsum, vel vno duntaxat exemplo addidisse. An inde sequatur, haud vllò pacto in medicorum auxiliorum numero ponendum esse? Quod enim Dioscoridi, alijsq; licuit antiquorum, id iisdem, sed & posteris ipsorum, omnibusque, certa rationis lege, quæ rectum præcipit, pravũ depellit, experimentorũ ambiguitatẽ administratibus, indultũ est: & posteris certè magis, tanquam hoc ipso Dioscoridis specimine audacioribus. Ergo cum Antimonio, nõ vnus, sed innumeri ferè posteriorum sæculorum, nõ de hominum fece, agyrte, circumforanei, empirici, sed primæ notæ viri docti, pij, Christiani sint vsi: visa eius permagna utilitate, quæ legitimũ præparandi modum, de quo fortè inferiùs nonnulla, consequitur, non dissimulandum censuere, quod res est, ipsumque adeò, in
reme-